epistola) spes me frustrata est. Ah ne respicere quidem ad nostra tam humilia velit qui
in suis secundis rebus suaviter acquiescit. Scribam tamen vel tribus verbis quae mihi i-
eo non probantur, stimulataque paulatum roboris pectore concepero qui nunc sum plane exhau-
stus. De altero vide quid consequi possis. Si nihil fiet Theodorus hac hyeme locum supplebit.
Lubens semel scriberem de meis rebus Doct. Vulmaro, si vobis ex usu videretur. Vulcamque
saepe meis nimis vehementibus epistolis exulceratus animum a nobis avertit. Benedictio
Domini sit super vos et familias vestras. Amen. Valde avide expecto quid spei ex collo-
quio Worm. affulserit. Vale pridie Cat. Novembr. 1567. Bremae

Vobis obnoxius Johannes Molanus.

Salutat vos uxor et pueri omnes qui indesinenter mecum orant.

Doctori Vulmaro Ioannes Rectori Academiae

D. Doctori Lamberto ab Haer

Nr. 19)

Salus aeterna per Dominum Jesum a DEO patre nostro.

Clarissime D. Doctor in istis horrendis calamitatibus quae de patria nostra hic ho-
minum sermonibus iactantur, valde nos solicitant vestra pericula, nec cessavimus hacte-
nus communibus ~~votis~~ studiis et votis frequentibus salutem familiae vestrae Christo coe-
li terraeque Domino commendare. Praesertim vero cum binis a me literis per hominem bo-
nae fidei sub hyemis initium isthic ad vestram charitatem missis, nulla litera reddita
sit, neque quicquam de vobis aut de rebus vestris auditum, non possumus non commoveri, et ea
quae pessimo cuique isthic solent contingere vestro capiti timere. Ad haec mala hoc accessit
etiam, quod ex colloquio doctorum unde levamen aliquod dispersis Ecclesiae Christi
membris sperabatur, additus magis est hostibus animus quam debilitatus, usque adeo
nihil firmum est disiunctis nihil dissidentibus satis munitum. Quid quod illud
quoque hic susurratur, Pontificios animo gladiatorio in eum coetum qui binis auspiciis
Antwerpiae colligi coeperat, grassari: etiam nunc quosdam flammis ustulatos, alios in
vincula coniectos esse. Haec me omnia et pueros mecum non mediocriter perturbant, in-
telligentes cum vos undique circumvallent praesentissima discrimina, vestram quoque vitam
in dubio esse. Quare obnixe ~~mod~~ rogamus, ut (quia de rebus omnibus tuto nunc scribi
non potest) vel obiter nobis saltem indicetur quo loco sit res ~~magna~~ summa. Vellicat hoc
interdum cor meum, quod longius a natali solo recesserim, quam ut conscius nedum socius
periculorum vestrorum esse possim. Sed ego ita nullius neque consilii neque auxilii homo sum,
ut ne si maxime quidem intersim, prodesse amicis periclitantibus magis quam obesse
queam. Quod interim absens possum saepe manus supplex duplices ad sidera tendo Sospi-
tatico DEUM, lachrymis suspiria miscens. Meorum malorum praecipites tandem fluc-
tus et saeva quierunt aequora, paulatim Deus ipse salutifer atras discussit placidus nubes
solemque reduxit. Tota hac hyeme uxor pro sua sorte satis benigna valetudine fuit, reli-
qua familia iam annum ferme totum (ut one quod aiunt) salubrior meos mihi dolores
multo leviores reddidit. Post coniugis reditum binis literis contendi a vobis ut ante
Brumam collega mitteretur, id quando non successit, cum tuo iussu, tum etiam quia res
cogebat ipsa, usus sum opera Theodori, quam ille mihi lubens praestitit, et sine omni
incommodo studiorum suorum quinetiam ita nunc ad eam rem assuefactus est, ut ego nunc in-
tegrum DEI beneficio restitutus illo mihi in una lectione subsidium afferente facile
supeesse meis laboribus possim, nec alium magnopere requiram. Video enim ad hanc rem
perutilem esse et prodesse eius studiis non vulgariter ubi suas lectiones ipse didicerit pau-
latim aliis docendis exerceri. Tum autem plane intelligo hanc esse DEI voluntatem
ut intra meas me contineam angustias, neque quicquam moliar quod aliquo splendore istorum
in meodia exasperet. Itaque imitatus Xenoph. intra tecta me contraho et meas res
curans praeter paucas horas quas sacrae lectioni successive impertio, totum me meis familiari-
bus pueris impendo. Duo mihi sunt ordines discentium, atque ut scias quam sim negotiosus, i-
parvo alveario priori ordini matutina lectio est ex odis Horatianis, ad nonam ex
Plutarchi

[= Hier. a. 11: Nr. 152]

apophtegmatis graecis. ad prima ex Ciceronis Laelio. ad quarta ex epistola D. Pauli
ad Rom. graeca. alter ordo rudiorum est, quibus praecepta Grammatices, colloquia, Mu-
sica, Catechismum et his similia trado. in his mihi Theodorus opitulatur. qui praeter meas
lectiones etiam in schola Arithmeticen docetur. praeterea quotidianam exercitationem s-
tili ordini adhibeo certandi scribendique, nunc carmen nunc prosam, prout est captus cuiusque.
his misceo crebras exhortationes ex sacra lectione praesertim, tempore precationis, quibus
teneri animi efficacissime ad studia stimulantur. nonnunquam et virga illos vapulando me
verberando defessum reddo. D. Jesus Christus qui familiis suis nomen ipsius synce-
re et constanter invocantibus non interesse modo sed etiam praeesse, sui spiritus luce pueri-
les mentes illustret, ac pro sua philanthropia salutares progressus, studiis eorum indulgeat.
Amen. Scripseram in proximis literis pridie Cal. Novembr. quod hic repetendum vi-
detur (ne illae forte ad vos non pervenerint) confiteri me mihi omnium nomine tale-
ralem solutionem a vobis factam, usque ad Calend. Januarias. anni 1.5.5.8. atque
insuper in sumptus librorum et vestium deinceps faciendos me habere a vobis 12.
daleros. his Bacchanalibus hanc decimam epistolam scribo. quare da mihi quaeso veniam,
humanissime Maecenas si dilutior videbitur et minus quam te dignum est elaborata. va-
le cum honestissima coniuge et cum tota familia. D. Doctor Albertus cum his prox-
imis diebus apud eum essem studiose quaesiuit num quid de vobis esset auditum. Ita et ipse
vicem solicitus praesertim hoc tempore, quo ne literae quidem laborantibus amicis sine
magno discrimine mitti possunt. is iussit cum me dixissem scripturum ut suo nomine
misericordiam vobis et pacem Jesu Christi adscriberem. Iterum vale. Mea uxor vos salu-
tat. pueri literas meditantur. ego prorsus exhaustis spiritibus desino tandem molestus es-
se mea ineleganti loquacitate. Bremae 26. Febru. 1.5.5.8.

Vobis magnis beneficiis devinctus Johannes Mo-
lanus

Nr. 20)

D. Doctori Lamberto ab Haer.

Ante paucos dies scripsi me orare ut Gallum illum huc extrudas clarissime Doctor,
idem te nunc rogo ut quam ocyssime fiat. non sane hoc ideo repetens quod parum sit se-
mel indicasse, sed quia verear ne (ut iam saepe usu venit) literae superiores interrup-
tae sint. In Gallum ego idcirco sum pronior, quod multa hic in mea familia ser-
mone Gallico utimur. et (quod est hic dicendum) prius ille clarior doctrina et

[= Marc. A 11: Nr. 153]

maiore nomine est quam ut in his tenebris meum diu desidere possit. aut etiam velit.
Olim et in me beneficio Christi quaedam inchoata eruditio fuit, at nunc ea sic ad
nihilum redacta est ut neque tertius sim amplius neque quartus. Quid tum si ad alia-
rum rerum iacturam haec quoque accessit, erit aliquando tempus cum nobis omnia cumu-
latissime refundentur. Illud inprimis obtestor mi D. Doctor, ut eum nobis mittas qui
nec ebriosus sit nec impurus. nam haec vitia in scholis perniciosissima supra modum sem-
per sum detestatus, et video multos inter eos quibus doctrina pietatis non est ignota, ignosce-
re sibi in manifestis operibus carnis, de quibus certe manet immota DEI sententia tan-
quam bipennis tenedia qui talia agant regni DEI haeredes non erunt. Debet esse qui mecum
victurus sit eruditus mediocriter et simul ex animo pius: non quod adeo morosus sim,
ut alienam infirmitatem ferre non possim qui ipse aegre consistam. sed quia mihi cum
eiusmodi puerulis res sit quos fuerit manere ostabilius omnium literarum rudes quam tene-
ros eorum animos domestico exemplo corrumpi. Sed haec intempestive garrio. ita satis
certo scio (quoniam et vobis hic scribitur) magnae vobis curae esse ut idoneum aliquem
et pueris quam utilissimum habeamus. Nuper quidam meus amicus homo doctus si quisquam
alius Francofortum isthinc iturus hortatus est per epistolam ut ex his scopulis aliquan-
do contendam, respondi id mihi esse liberum et optabile si videam aliquam legitimam vocati-
onem. spero eum quae in rem meam erunt non neglecturum. si nihil fiet praesente casum
mulcebo. Nihil est hic novum. Nisi quod arbitror vobis non inauditum. Aliquot principes
cipes